

Prologus

Reuerendissimi in christo patris et dñi: domini
Hugonis de sancto Charo: sacrosancte ecclesie
Romane Tituli sancte Sabine Cardinalis primi
de ordine diui Dominici: in Hostillâ super tres
libros Salomonis: Prologus.



Dicit Eccl. xxxix. a. Occulta puerbiorum
exquirat sapiens: et in absconditis pabulorum
conuersabit. Duplice uita bonorum nobis
comendat Ecclesiasticus in his uerbis: quod
etiam dominus figuratim commendauit: et
ante legem: et sub lege: et sub euangelio. Ante
legem pliam et rachel uxores iacob: Gen.
xxix. Et sub lege per phenennam et annam
uxores helchan. j. Regl. j. a. Sub euangelio

gello per martham et mariam sorores lazarum: Luc. x. g. Hec est duplex
uia per quam itur ad dominum: de quibus Proverbia. liij. c. Uia eius
uia pulchra: et semita eius pacifica. Sed quia in utraque sunt multa di-
uercula: ne uolentes incedere eas oberrent in eis: necessarium fuit
lumen eruditionis quo uia recte rectitudo perficiantur monstra-

ref. Unde et dauid clamat: Uias tuas domine demonstra mihi: et se-

mitas tuas edoce me. Quo ad primam dicit Ecclesiasticus: Occul-
ta puerbiorum exquirat sapiens. Quo ad secundam sequitur: Et in
absconditis pabulorum conuersabit. Ad eam laborando exquirat sa-
piens actiuus: in eodem postmodum conuersando quiescit cõtem-
plator: plenarie eruditus. Sicque fit transitus de actiua ad cõtem-
platiuam: quasi de uia ad semitam perficendo. Unde iam triplex
statu hominis innotescit: Inchoatio: perfectio: et perfectio. Ad at-
tendens rex salomon: luce sapientie diuinitus illustrat: tria composuit
uolumina: Proverbia: Ecclesiasten: Cantica canticorum. In pri-

mo docet uirtutes et mores: et quomodo conuersandum sit in medio
prauæ et puerile naturæ. In secundo docet omnia temporalia uana
esse et transitoria: et ideo cõtempla. In tertio docet solis dei
amplexibus inherere esse per amorem. Et sic in primo erudit incipien-
tes: In secundo admonet perficiendos: In tertio alloquitur iam perfectos.
In primo instruit in actiua laborantes: In secundo de actiua ad
cõtemplatiuam transientes: In tertio in cõtemplatiua quiescen-
tes. In primo docet in mundo uiuere. In secundo mundum cõtem-
nere. In tertio deum diligere: et in eo solo delectationem querere.
In primo docet uirtutes: ut diligant: In secundo naturas rerum
ut cõtemnant: In tertio gaudia cõtemplatiuæ aperit ut appe-
tant. Et est ordo congruus ac necessarius: ut primus sciat homo bene
uiuere in mundo: deinde uelit mundum iam sibi cognitum subijce-
re: et tunc demum poterit ad amplexum spiritus ascendere et in eo de-
lectari: Nisi enim homo prius in campo uirtutum exercitatus fue-
rit: et mundi pompas contempnauerit: non poterit ascendere ad amplexum
sponsi et dicere: Oscule me osculo oris tui. Breuiter ergo salomon
omnem statum hominis erudit: paruulos lacte pauit in prover-
biis: adultos pane cibauit in ecclesiaste: robustos cibo solido
satiavit in canticis. Unde tribus nominibus recte vocatus est: scilicet
Salomon. i. pacificus: quia in regno suo pacem habuit. Ecclesiastes
id est cõcionator: quia cõgruam suam ecclesiam cõgregauit. Id idem
id est amabilis domino: quia eum amauit dominus: quæ tantæ sapientie
dono per cunctis mortalibus decorauit. Primum nomen primo libro
conuenit: ubi frutes docet: quæ pacem pectoris faciunt. Secundum
nomen secundo libro congruit: ubi more cõcionatoris cõcioni. i. ho-
minum cõgregationi loquens preces discordantes ad concordiam re-
uocat. Unde in fine cõcludit sic: Deum time et mandata eius obserua:
hoc est omnis homo. i. perfectus homo. Tertium nomen tertio libro cõ-
petit: ubi amoris epithalamium cantat. Ex his tribus libris sa-
lomonis: sic dicit Origenes. diuiserunt philosophi philosophiam
in morale seu ethicam: et naturalem siue physicam: et inspectiuam. scilicet theo-
logiam: quæ docet solis inuisibilibus inherere: et quos in poribus
perfectis cõspiciunt: ad tertiam introducunt. Tres igitur libri salomo-
nis: sunt tres panes: quibus esuriens saturatur et impinguatur: de qui-
bus Luc. xi. a. Dimice accommoda mihi tres panes. Primus est
hordeaceus: secundus triticeus: tertius simlagineus. Primus
primo frangendus est: et apponendus turbæ. Impinguis ergo uiden-
dum est quæ sit eius materia: quæ intentio auctoris: quis finis:

auctoris

quæ utilitas: quis modus agendi: quis titulus libri. Materiam
est uita et uirtutes. Intentio auctoris est scientiam moralem ru-
dibus tradere. Finis duplex est: proprius et communis. Proprius
est morum informatio: communis est uita eterna: quæ et totius theo-
logie est. Unde Job. xx. g. Hec autem scripta sunt ut credatis: quia
scelus est filius dei: et ut credentes uitam habeatis in nomine eius.
Utilitas magna est. Utilis enim est ad multa huius libri scientia: Ad nouam uita-
lis est scientia
huius libri
ad minus ad nouam: quæ in principio huius libri tangunt. Primum
est sapientia: quæ est rerum spiritualium sapore ipsarum condita.
Secundum est disciplina: quæ est bellum inexorabile per proprium sen-
sum: et etiam contra propriam uoluntatem: siue contra veterem homi-
nem. Tertium est prudentia: quæ attendit in contrariis et nego-
ciis: et obsequiis spiritualibus per circumentionem ne decipiamur: sed
obsequia nostra accepta sint deo: nobis hoc fructuosa. Quartum est
doctrinæ eruditio: quod dicitur ad differentiam naturalis eruditionis
quæ iuuat beneficium gratiæ. Quintum est iusticia positua: quæ cõ-
sistit in reddendo: primo quod suum est. Sextum est iudicium: quod
partim ex equitate: partim ex iusticia dependet. Septimum est astu-
tia: quæ est deprehensio alienæ malicie: et maxime necessaria par-
uulis contra fraudes et argutias seu insutias diabolicas. Octa-
uum est scientia: quæ est cognitio: propriæ infirmitatis et misere-
rie ac periculorum: de qua Eccl. j. d. Qui addit scientiam addit et
laborem. Nonum et ultimum est intellectus: quod legimus in terra signa figu-
rarum salutem nostram deseruentium. Modus agendi talis est. Pau-
cus est in sermone et planus: sed multus in sententia: et obscurus in my-
sterijs. Titulus talis est: Incipit liber puerbiorum vel parabolarum
salomonis. Est autem parabola sic dicit Hieronymus. super Mattheum. rerum
natura discrepantium sub aliqua similitudine facta collatio. Et
Beda. Parabole græce latine similitudines dicuntur. Ad uoca-
bulum salomon ideo huic libro imposuit: ut non iuxta litteram in-
telligantur quæ dicuntur: Sed sicut in terra aurum: in nuce nucleus:
in hirsutis castaneæ operculis fructus latens requiritur: ita in
his parabolis sensus mysticus requiratur. Unde et puerbia di-
cuntur quasi porro uerba: quia per litteralem sensum quæ exterius
prehenduntur: per alium interius dicuntur. Vel dicuntur puerbia: quasi
propterea. i. prima uerba: quia quasi maxime propositiones sunt quibus sta-
tim acquiescit. Unde et uulgata editio hunc librum paraproteroenias
uocauit. A para quod est iuxta: et pro quod est primum: et emos quod
est sermo: quia hæc uerba iuxta nos in corde et in ore debemus
habere. Deut. vi. b. Erunt uerba hæc in corde tuo et narrabis
ea filiis tuis et meditaberis sedens in domo tua. Potest etiam
dici liber primus sermo: quia primus liber salomonis est: vel quia
primis. i. incipientibus proponitur. Ordo tractandi talis est. Partitio
libri
Tres sunt libri huius partitiones. In prima disputat salomon
de bonorum ac malorum partibus. In secunda quæ incipit. x.
capitulo: alternis uersibus utroqueque actus describit. In tertia
quæ. xxv. capitulo incipit: secum deliberans de scientie uerita-
te tractat. Iudei hoc distinguunt hunc librum in quinque partes.
In prima ponunt parabolas a salomone compilatas. Dicunt
enim quod salomon non omnes parabolas huius libri compila-
uit: licet omnes locutus sit. In secunda ponunt parabolas compi-
latas a uiribus ezechie regis iuda: ut dicitur. j. xxv. In tertia
ponunt compilatas ab ipso ezechia. In quarta ponunt quendam
pauca quibus salomon eruditus est a matre sua. In quinta po-
nunt instructionem mulieris fortis. Nobis autem uidetur quod in quinque
partes diuidatur liber iste. Primo ponit salomon quasi plogum
in quo ostendit quæ sit materia et quis auctor et quis finis. Quæ
sit materia: cum dicit: Parabole. Quis auctor: cum dicit: Sa-
lomonis. Quis finis: cum dicit: Ad sciendam sapientiam.
Secundo a quibus abstinendum. Tertio docet quibus inheren-
dum. j. ij. a. Fili mi ne obliuiscaris legis meę et c. Quarto agit
de muliere forti.

Explicit plogus

8 2

Triplex sta-
tus hominis

Phil. 2. b

Cant. 1. a.

Eccl. vii. b.

Modus agendi

Partitio
libri